Senec.

Sic temere iactæ colla perfundant comæ.
Humeroſque ſummos.

Silius Italicus lib. 12. de *Bell. Punic.* verſ. 597. & Theocritus in *Adonid.* epitaph.

Sil. Ital. Theocrit.

——— Sparſæque ſolutis
Crinibus exululant matres, atque ubera nudant.
Soluta comas Venus per ſilvas errat.

Pœnitentia Magdalenæ

Ut pœnitudinem exprimeret Magdalena, affuit comâ ſine lege, ſubiectionem ſignans, & cordolium demonſtrans: dicunturque *capilli capitis*, quaſi coma capitis, in obſequium exhibita paſſa, non ut pridem nexibus ornata, queis catenata ignominia. Cuncta deſpexerat, offertque, ut ducatur, quæ ut duceret, in nodos fuerat retorta. Aptiùs quàm Ariadne, ut canit Ovid. in eius *Epiſt.* verſ. 147. dicere quidat:

Ovid.

Hos tibi qui ſuperant, oſtendo mœſta capillos,
Per lacbrymas oro, quas tua facta movent.

Caput pro coma.

44 Pariformiter alia teſtimonia. *Veſtri capili capitis.* ideſt, veſtræ comæ pili. *Capillus de capite veſtro non peribit.* hoc eſt, de congerie capillorum, queis formatur cæſaries, capitis ornamentum. Quod patet clariùs, accepto capite pro capillitio, ut vidimus num. 9. & etiam loc. cit. Daniel. num. 41. *Apprehendit eum Angelus in vertice eius.* Unde cognita acceptione, pervia expoſitio. Perdifficilis videtur numeratio capillorum: unde iocus Ovveni lib. 1. *Epigram.* 106. in calvum.

Ovven.

Calve, meos nunquàm potui numerare capillos:
Nec tu (nam nulli ſunt) numerare tuos.

Verùm in Conditore nihil facilius. Quanta cura de cæteris, ſi illi conſtat numerus crinium comæ? Numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Sic demum exponendum: *Vir de cuius capite* (ideſt comâ) *capilli fluunt, calvus, & mundus eſt.*

Varietas lect.

45 Com[illegible]bant Verſiones. Perſ. *Vir autem, cùm effuſum fuerit capillitium capitis eius, calvus [illegible] mundus eſt ipſe. Ipſe* (ideſt, *Etiam*, ut diximus latè *Tom.* 3. *Tautol.* 12. num. 22.) Rabb. Ionath. *Si deſtuit coma, macula ſplendida eſt creſcens in cute: mundus eſt.* Samaritan. *Cùm depilabitur caput eius, &c.* Syr. *Si deſluit pilus eius, & calvus fiat, &c.* Arab. *Cum capilli capitis lapſi ſunt, &c.* Ar. Montan. *Cum decapillatum fuerit caput eius, &c.* Tigurin. *Si à capite fuerint pili avulſi, &c.* Maluend. *Quia evelletur caput eius, &c.* Septuag. *Effluerint pili, calvus eſt.* Oleaſter, ſicut Mont. Cuncta in expoſitione ſparſa: iam ergo ad mores.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. excurſ.

1. *Vir de cuius capite capilli fluunt, calvus.* Quis ignorat? Princeps qui capitibus imponit gravia tributa: igitur capillos in populo calvo quærit, & poſtquàm radices capillorum raſit, atque à cute violenter capax evulſit.

2. Si *calvus, & mundus eſt.* Capilli cogitationes in terrena exprimunt: lexque ſignat mundum, cui defluxus capillorum; ſiquidem claret Religioſorum conſummata perfectio, ubi nulla ineſt de terrenis cogitatio.

3. *Calvus & mundus eſt.* Poteſt eſſe immundus, quanvis calvus, quippe ex lepra nec capillus: etenim ob venenum pravæ, iniquæ conſuetudinis, nec radix remanet ſalubris cogitationis.

4. *Calvus & mundus eſt.* In Religione nemo mundus, niſi calvus: quandoquidem ſi in activum ſcorpionis venenum medius eſt pilus; ut inferantur uſque in viſcera venena, capita reproborum ſemper intonſa.

5. *Calvus & mundus eſt.* Quomodò mundus, ſi etiam leproſus eſt calvus? Ille humoris ſiccitate, ſed hic putredine ſine pilis capite; ut lepra appareat, atque pœnam leproſus non effugiat: etenim in effugium concedetur (qui leprà laborat) neque pilus, quem apprehendat.

6. *Calvus & mundus eſt.* Eccleſiaſticus erit mundus, ſi fuerit calvus: igitur ſi capilli corporis ſuperflua, & defluxus illorum eleëmoſyna; mundus omninò, modò cuncta diſtribuat in uſus pauperum, ne quid ſuperfluum.

DIDASCALIA PRIMA.

A paucis accipit, qui nimium quærit.

Caſsiod.

Totũ amittit, qui totum quærit.

1 CAſsiodori gnome aurea *lib.* 7. *Formul.* 9. ibidemque 14. cauſam deſignat. *Idonei* (inquit) *damna vix ſentiunt: tenues autem levi diſpendio vulnerantur, quando vel mediocri iniuria totum videtur amittere: qui exiguum cognoſcitur poſsidere.* Haud effluet aqua fontis, ſi obturatur exitus ſcaturiginis: equidem perperàm ovis uber præbebit lactis dulcedinem, ſi ex preſsione continuà non habet ſanguinem. Unde Ambroſ. Marlian. in *Theatr. Politic.* cap. 11. canit.

Marl.

Uberibus lactis ſuccum, non ſanguinis, hauri:
Et corio miſſo, ſit tibi lana ſatis.

Dimidium præſtantius toto.

Boni paſtoris ovem tondere, non deglubere: ait Maxim. Tyrius de Tiberio Cæſare *Serm.* 13. igitur totum amittet, qui totum tyrannicè, ac ſtolidè quærit.

Suid.

Dimidium quàm ſit toto præſtantius, iſtud
Haud novit ſtultus.

Ait Suidas: Sanequàm verum, minimè poſſe in os paratum inferri cibum, ſi non flectitur, ſed extenditur brachium. Longiùs etenim emolumentum cognoſcitur, quò magis manus extenditur. *Tondentes attondent capita ſua*: dicitur ab Ezechiele, ut vidimus in *Liter. expoſit.* Capilli ſint: ſed ita ſint, ut nec caput radant, nec comam nutriant. Cœleſte profectò documentum pro ordine rationali vectigalium: equidem ſi tributa nervus Reipublicæ floreſcentis; exigenda ex ſuperfluis, nequaquàm ex neceſſarijs; illi igitur neceſſaria, quæ ſubditis ſunt ſuperflua: iurèque indicitur à lege crinium tonſura; ut Reſpublica non egeat, nec ſubditorum pondere graventur capita: quandoquidem ſine tonſione, comam nutrient in ſuperbiam; & raſis capillis, redigentur ad inopiam.

Ezech. 44. 20.

Tributa ex ſuperfluis, minimè ex neceſſarijs.

2 *Tondentes attondent*, meditatò geminatione dicitur. Cura & magna exhibenda eſt in cincinnorum tonſura. Placet comam tondere, non radere: ne Princeps nimium quærat, nec habeat, nec à paucis, unde accipiat: ſignaturque tonſurà tonderi capita; ut clareſcat modus exigendi tributa: etenim dum ſuperflua ſibi Principes à ſubditis reſecare ſolicitant, capita familiarum haud tondentes attondent, ſed excoriant. *Tondentes attondent*, ne cutem vulnerent, factà plagà ex nimia crinium tonſura; ſiquidem nihil pòſt obtinebit Princeps utilitatis, modò evellat è capitibus tonſis etiam radices: Tonſura non ſentitur, dum cæſaries tondetur; cor etiam pungitur, ubi caput vulneratur: tonderique tonſurà iubentur capita, ut ſint accepta tributa: quandoquidem ſi uti capillos, tributis ſubditos Principes tondent, etiam ſubditi tonſi minimè ſentient: ſed ægrè fertur tanquàm cruciamina vulneris, quòd pro inciſione comæ mittatur ſanguis.

Sit modus in tributis.

3 Deinde. Radere uſque ad cutem capita, mancipiorum proiectorum ſunt inſignia, ut diximus *Tom.* 2. *Tautolog.* 12. numer. 6. & hìc latè à *num.* 37. Tondere verò comam, ſpecioſitatis ſtudium, ne gravet capita ſuperfluitas capillorum: tonſuraque crinium ſtudioſè deſignatur, quando tributum imponitur; quoniam tunc floret Principis Regia, vigentque regna in iuſtitia, dum ſuperflua reſecantur in Reipublicæ ſubſidium, nec raditur uſque ad cutem, in deriſum ſubditorum. Vernaculè: *Tratarles como galeotes.* Modus næ habendus in ordinatione tributi, quoniam capilli, tametſi ſuperflui, ſunt alieni; & ſumma vectigalium, non capilli, ſed ex ſuperfluitate capillorum. Si capilli, fas eſſet cutem aduſque radere, & ſanguinem è capitibus elicere; deformandi adinſtar mancipiorum, quiqui tondendi pro munere vectigalium: cùm verò ex ſuperfluitate vectigalia colligenda, dicitur aptè tonderi capillos tonſurà; igitur quælibet onera vel gravia ſuaviter quibunt à ſubditis ſolvi, ſi non habentur ut mancipia, ſed ut ſubditi.

Subditi ad onera non habeantur ut mancipia.

4 Ulterius. Perpendendum omninò, quòd quicquid ſubditi Principi tribuunt, ſibi, quantunvis ſuperfluum ac inutile, detrahunt. Extrema capillorum etiam ab habentibus reſecantur, & in ludibrium venti, ut volitent, proijciuntur. Quod fit profectò in capillis, exhibendum ſanè in ſubditorum bonis, quæ habentur ad ornatum, ut quid ſuperfluum: reſecarique congruit tonſurà, ne ſubditi detrectent vectigalia: igitur tributum ſuave, & pondus utique leve; ſi à ſubditis raſis ſolvitur, ex quo proijcitur. Aliud in haccine cogitatione documentum. Tributa neceſſaria ſunt, unde Tacitus *Hiſt. lib.* 4. cap. 74. ait: *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* At intereſt inter iuſtum & violentum, quod inter capillum tonſum & vulſum. Nihili pilus eſt: pariter tributum è ſuperfluis habetur nihili, cùm

Tributũ ſuave, dum ſolvitur, ex quo proijcitur.

Tacit.

ſpontè proijciatur, dum coma tondetur. Si tondetur, mulcet: ſi evellitur, dolet: tonſuraque adinſtar capillorum eſt adhibenda, ne ſint violenta, quantunvis levia, tributa: equidem volupè tributum ſolvitur, ex quo proijcitur; ſi non evellitur.

Et non evellitur.

5 Longè à moderatione execrabilis aviditas Cleöpatræ, ut ſanguiſugæ conatus. Acta ſanequàm probavit exitus. Inaudita & inaudibilia refert etiam ex Ioan. Magn. *lib.* 21. *cap.* 19. ChoKier lib. 2. cap. 10. in *Theſaur. Polit.* not. 10. de Margaretha Norvegiæ & Daniæ regina. At quæ non cogitat avaritia, & in fœmina! Vehebatur igitur Ægypti bellua, non Principiſſa, ut taxat Ioſeph. lib. 15. *Antiq.* cap. 4. *Pecuniarum ubicumque ſpes affulgéret: neque templum, neque ſepulchrum, neque aſylum ullum unquàm violare dubitavit; modò ad illam redirent ſpolia quæſita vel ſacrilegio: miſcebatque ſacra profana, fas nefas, ut augeretur lucris vel iniquiſſimis: ad ſummam nihil ſatis erat mulieri ſumptuoſæ & voluptatibus deditæ, cuius cupiditates vix totius orbis expleri poſſent opibus.* Quæ namque ſubditorum bona ſecura, ubi nec ſepulchra, neque ſacra ſartatecta? Vincit cupiditas theſauros, & non eſt finis theſaurorum eius. Potus excitat ſitim, epulæ famem. Aptè cadit quod de Ereſichthone canit Ovid. lib. 8. *Metam.* fab. 11. Heu! à tyrannis facta, quæ fuerunt ficta.

Cleopatræ nimia avaritia.

Ioſeph.

Plus cupit, ubi plus habet.

—Quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poſcit, & appoſitis queritur ieiunia menſis.
Inque epulis epulas quærit, quodque urbibus eſſe,
Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni:
Pluſque cupit, quo plura ſuā demittit in alvū.
Sic epulas omnes Ereſichthonis ora profani
Accipiūt, poſcuntque ſimul: cibus omnis in illo
Cauſa cibi eſt, ſemperque locus fit inanis edendo.

Ovid.

Ereſichthonis fames.

6 Patuit in Herode Aſcalonita, qui ſubditos nimis aggravavit vectigalibus, morte mulctatis vel querelæ vocibus. *Regi* (ait Ioſeph. ubi ſupr. *lib.* 17. *cap.* 8.) *morbus factus eſt gravior, pœnam impietatis exigente numine. Aderat & vehemens voracitas, cui neceſſe eſſet, continuò cibos ſuggerere.* Expreſſit ægritudine tyranni corpus, quo flagrabat animus, pœnam exigente numine de ſubditorum gravamine: igitur ſicut cibus haud extinguebat, ſed acuebat famem, ita divitiæ divitiarum cupidinem; ut gravior vectigalium nova impoſitio gravem aliam tyrannicè aleret impoſitionem. Hi comam ſubditorum haudquaquàm tondent, ſed radicitùs evellunt, parvipendentes, quod effundant ſanguinem, modò radant cæſariem uſque, & intra, & ultra cutem. Pilus extractus ſi unicus, parvi doloris & pretij: multi, caput afficiunt inuſitato dolore: cuncti ſanè faciem devenuſtant, & caput deturpantes neceſſario nativo habitu violenter ſpoliant: unde ut ſatis ſit impendiò, & non diſpendio, & Princeps haud gravis populo; coma bonorum non radenda, ſed tondenda: etiam tondenda tonſurâ: etenim facultas vectigalium conceditur, ut Princeps ſplendidè regnet; nequaquàm ut Reſpublicas exactionibus deformet.

Ioſeph.

Ut grata tributa, ſint levia.

7 Quid ſi non modus, ubi ingerendus vel maximus? Diſtortè vertitur in opprobrium, quod iure æſtimandum uti obſequium: cùm gloria ſit Principis, habere unde poſsit in neceſsitate tondere, & neutiquàm ad neceſsitatem, quia reſecuit, nil habere: etenim in capitibus, queis inveniebat vel ad ſuperflua ſuperfluum; haud toties tonſis inveniet ad neceſſaria nec pilum. Aptiùs theſaurus apud plures cuſtoditur, quàm intra fiſcum ſervatur: habebitque quicquid habent ſubditi, ſi ſubditi habent; & dedent in neceſsitate etiam ſanguinem cordis, modò capillos non tondeat ſine alea neceſsitatis.

Ubi totum reſecatur, nil invenitur.

Impia continui ceſſent augmenta tributi:

Claudian.

Succinit Claudian. verſ. 495. *Paneg.* prò 4. *Honor. conſul.* Tributum optimum, quippe debitum: at augmentum erit impium: igitur exhauriuntur vires corporis, ſi ſanguinis deſunt vires, & viſcera premunt nuda uſque ad deliquium ſanguinis.

Haud grave tributū, ſed augmentū.

Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus:
Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

Alciat.

Ait Alciatus *Embl.* 146. Vivo ſanè exemplo conditionis lienis, ſignat nocumenta ex augmento vectigalis: igitur ſi cibus in alimenti tributum; diſcat Princeps diſtributionis atque penſionis intentum: quandoquidem congeſta penduntur, ut regnum alat, neutiquàm ut quaſi lien ſuperfluo humore tumeſcat. Splene inflato, artus cæteri langueſcunt; quoniam infirmus ſuperfluè trahit, quicquid in alimentum tranſire debet: & augmentum in oneribus tributi aptè confertur inflato morbido lieni; quia minimè augmentum, ſed toti corpori incommodum, quòd ſibi vendicet tumens cæterorum alimentum. Haud quit eſſe Principi ſalus, populi morbus: ſiquidem ſplenis noxia repletio, cùm cætera corporis elangueſcant ſine ſucco. Qui laborat ſplene, laborat etiam reſpiratione difficili. Si lien fiſcus ex congiario alienarum facultatum inflatus, & ſubditi reipublicæ corpus; totum corpus repleto liene ſubiacet ægritudini, quoniam ſine facultate: equidem cùm tributa lienem non explent, & implent; onere ſubditi ægrè reſpirare valent. Qui totum trahit, nihil cæteris relinquit: nihilque accipit, qui totum quærit; etenim dum ſummum cogitatur emolumentum, amittitur totum. *Vir de cuius capite capilli fluunt, calvus eſt.* Nihil clarius, nec perſpicuius hac ſententiâ, à tyrannis pro ſiti fortunarum prætermiſsâ: quandoquidem haud arbitrantur decalvare populum, radicitùs cunctum evellentes capillum: unde qui ſine capillis, calvus dicitur; ut prudenter vectigal capillatis imponatur: igitur ſi Princeps cutem & radices radit, nec pilum in neceſſaria temporis urgentiâ inveniet. Politicè & urbanè Marco Antonio, alteram penſionem urbibus Aſiæ imperanti, reſpondit Hybreas, apud Plutarch. in *Marc. Ant. Si poteſt uno anno bis tributum accipere; duas etiam æſtates, duos autumnos uno anno nobis efficere potes.* Non valuit: quomodò aliquid populus è nihilo ſolvet?

Cur fiſcus confertur lieni?

Non principi ſalus reipublicæ morbus.

Lev. 13. 4.

Haud gravet tributum ultra modum.

Plutarch.

Parvo multa quærens inſtare tributa novali,
Sæpè grave immenſo deſerit ære ſolum.

Petr. Coſt.

Ut ait Coſtalius in *Pegmat.*

8 Adinſtar vineæ in tributa, ſubditorum conſideranda bona: *Olitorem odi* (dixit Alexander Magnus apud Max. Tyr. ubi ſupr.) *qui herbas radicitùs excidit, ac extirpat.* Vitis non eradicatur, olus in cibum evellitur; & penſiones diſsimiles oleri, atque ſimiles viti: quoniam tunc tributa accepta, dum exiguntur tributa, putatis ſolventium bonis, & minimè eradicatis. Deviavit à recto Achab, intendens hortum ex vinea ſtructa Naboth. *Da mihi* (ait) *vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum.* Propudium utique regis, ni eſſet utpotè tyrannus perfrictiſsimæ frontis. Regis emolumenta, quæ è vectigalibus, regni, non regis ſunt commoda: patetque ex bono publico regem ſtudere rapacitati; ubi bona vectigalium ſolummodò quærit ſibi. *Da mihi*: ait. Regis eſt alios ditare, nequaquàm ex alienis divitem fieri: & inverecundè à ſubdito poſtulat, quod dare hic læsâ lege recuſat; quia nihili pendit tyrannus frangere legem, modò à ſubditis extrahat hæreditatem.

Max. Tyr.

Nec radices extirpet.

3. Reg. 21. 2.

Haud ſibi ſumat, ſed regno.

9 Crimen ſanequàm erat, aliena rapere; ſed contra regnum vineam in hortum convertere. Qui Principes, induſtrij agricolæ, adinſtar vitium congerunt emolumenta penſionum; non ſecantes, ſed putantes: & non dum placet, & lubet; ſed cùm tempus putationis advenit. Qui tyranni, olitorum imitantur exercitium, cuncta, ut pecuniam habeant, eradicantium. Ita vectigalia deſtruunt, dum in modum vitis proſunt; quia putamine opportuno vineæ multum fructum afferunt: unde Achab in hortum olerum intendens vertere vineam, expreſsit poteſtatis cogitationem tyrannicam; quoniam omninò tyrannum, ſubditis tributi imponere iugum, non ut ſubſidium, ut decet, ex bonis prudenter ſumat, ſed ut bona & poſſeſſores radicitùs uſque evellat. Patet ſtultiſsimum facinus, quod cogitat ſtolidè cupidus: ſiquidem quotannis fructus quibat percipere ex vinea, ac ex horto, ſemel excerpto, nec folia. Adhuc latet acumen, in regni ſubſidium, atque cunctorum levamen: igitur ſi olus, quæ putanda vitis; penſio tributorum gravis: quam quidem reſpublica pendet ægrè, dum adinſtar horti carpti areſcat ſine radice. Si radices ſervaret violentia, uti vitibus, intactas, haberet unde denuò ſatiaretur cupiditas: at converſâ vineâ in hortum, manebat tributum, quin eſſet unde tribuendum: graveque Reipublicæ, & graviſsimum Regi, expenſas fieri, nec unde erunt, invenire.

Et opportunè.

Putando, non evellendo.

10 *Unde ememus panes ut manducent hi?* Dixit Dominus Philippo, famelico populo; *tentans* illum, & ſimul docens, quid in urgentia faciendum. *Tentans.* Aptè: igitur tentatio & graviſsima regi; dum neſcit unde ſubſidia, urgente neceſsitate. Simul etiam docet, quid frequenter premente inopiâ (quid avaritia?) contingit: quandoquidem vel patrandum miraculum, vel reipublicæ exterminium: quippequàm cùm neceſsitas urgeat, nec unde ſubievetur inveniat; adinſtar olitorum, quicquid germinat, radicitùs amputant, quicquid occurrit, ſine diſcrimine extirpant. Non ſolùm in arbore excelſa & præciſa oſtenditur Nabucho arrogantiæ deſpectus, ſed etiam qualis habendus erga vectigalia modus. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia ::: verumtamen germen radicum eius in terra ſinite.* En prudentia & providentia circa tributa; cuius fructus regno, regique utiles, ſi ramorum luxuriantium excutiuntur folia; ſed manent germina intacta: aliàs non habebit ultrà, quid præcidat, quid excutiat, urgente neceſsitate, ſi arbores ex quibus fructus, exiſtunt ſine radice, æque trunci ſine germine. Tributa ut ſint grata, proveniant ex concuſsione foliorum: ſi non ſat, etiam ramorum virentium, ſed germine prorſus intacto; ne rex aliquando preſſus, optato fraudetur voto: igitur requirens inter ſubditos vel ordinaria tributa; quaſi in arbore abſque germine inveniet in ſubſidium neque folia. Non quicquid poteſt colligi, colligendum. Si pulli capti, mater dimittenda volatum. Ita præſcriptum

Ioann. 6. 5. 6.

Conſiderandum, tributum unde tribuendum?

Daniel. 4. 11. 12.

Germina ſint intacta, ſi excutit folia.

Deuter.22. 7.

ptum *Deut.*22.6.Finem nota:*Ut benè ſit tibi, & longo vivas tempore.* Malè utique raptori erit, enectâ cum filijs matre: equidem ſemel replebit ſtomachum, ſed ex illa non habebit ulterius cibum. Pro tempore conferuntur vectigalia, ut vivat commodè princeps: ſed ſemel datis conſumptis, non poteſt vivere commodè: unde pro collocatione tributorum, atque expenſis vectigalium; pulli capiuntur, ſed illæsà matre, ut longo poſsit princeps vivere tempore: igitur ægrè vivet, & malè audiet, qui ſemel

Ut habeant unde tribuenda.

cuncta indiſcriminatim devorat, ut infeliciter reliquo tempore eſuriat. Iam ergo elucet ſtultitia Achabi, dum cogitat hortum ex feracitate vineæ. Præclarum erat hortum facere vinetum, unde germina in tributum: non hortum inſtruere ex vinea, amputatis radicibus in annua tributi commoda: hinc ſolummodò conſulens iniquè rapacitati; dicit ſtultè, *Da mihi*: ſiquidem tyrannus modò

Ubi ſuprà.

cuncta ſibi ſimul & ſemel habeat; flocci pendit, quòd regnum ſine radicibus, ſine germine eſuriat, ac tandem pereat. *Vinea Domini exercituum, domus Iſrael eſt*: ait Iſaias cap. 5. 7. Videant ergo Principes ex novis tributis potiùs timendas lachrymas ſolventium, quàm agmina etiam innumera hoſtium, ne exercitus ſpecie, vinea in hortum mutata, areſcat ſine radice: quandoquidem

Quaſi proventus ex vinea.

eſtò copia acceſerit vectigalium, pro copijs ſolus Deus eſt Dominus exercituum. Quid Achabo extorſio? In cladem ſemper vergit cum exactione vexactio. Signat Catſius *Emblem.* 49.

Catſius.

Per ſcelus immenſas quid opes cumulare iuvabit?
Turpiter è manibus res malè parta fluit.

11 Unde, diſquirendum, tanta regnorum vaſtitas? Non tam ab hoſtibus, quàm ab indigenis lamentabilis hoſtilitas: minimè onus ab onere ex tributis impoſitis, ſed à miniſtris: neutiquam à gravioribus vectigalibus, ſeb ab iniquis deteſtandis exactoribus.

Non onus gravius à tributis impoſitis, ſed à miniſtris.

Aſtipulantur cuncti Politici.Saäved.in *Idea Princip.*Symbol.67. Tacit.lib.4.*Annal*: cap.7. *Hiſt.*lib.4.cap.26.& de *Morib.Germ.* cap. 43. Marlian. ubi ſupr. Ioan. ChoK. *lib.* 2. *cap.* 10. Morus in *Utop.* lib. 1. Aponte in *Monarch.Hiſp.* lib.2.cap.29. Caſsiodor.lib. 3.*Epiſt.*12.& denique Solorzanus,qui *Embl.* 84. canit appoſitè.

Solorz.

Dulcia Rex, animos demulcens, munera poſcit:
Diſplicet exactor: grata tributa placent.

Audiatur cauſa, ut apponatur & actutùm medicina. *Quid eſt publicanus*, (dicam ex *Polit.*Præſul.Salesbrienſ.lib.6.cap.1.) *Quid? Nonne caput rapinæ & lex violentiæ? Quid eſt publicanus? Prædo ſine pudore, medicus exterminij. Nonne immanior furibus eſt publicanus? Fur namque vel timens furatur: hic autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet: hic quicquid egerit, legem putat. Lex furem deterret ab illicitis: hic ad iniquum malitiæ ſuæ compendium, legem trahit.*

Exactores exterminiū regnorum.

Salesb.

Locuſtæ ſunt non ſolùm in damno, ſed etiam in numero, quarum plagâ elangueſcit Reſpublica, atque deſolantur arva: igitur alijs ſupervenientibus, nihil linquitur intactum: ſibi cuncta ſumunt, vorant cuncta, & nihil minus curant, quàm portanda Principi vectigalia. Unde populi magis quàm penſionem gravem, timent iure miniſtralium vexationem: igitur crudeles premunt titulo regis, ſi dimittuntur inanes: hilareſque, ut iterùm redeant, ſtudiòsè recedunt; quia non tributum regis, ſed ſuum accipiunt: quapropter calculatione factâ, plura ad ſolvendos quæſtores neceſſaria, quàm in graviora tributa: ſiquidem gravius putandum, ubi non ex tributo, ſed ſolutione diſpendium.

Adinſtar locuſtarum.

12 Clareat ergo ex Scriptura incogitantiæ Principum vigilantia; ut his conſtet in expenſis quanta ſtultitia. Dotis munere, non nomine, vineam dedit Salomon Sponſæ dilectæ in pingui ſolo, in Baälhamon, quod interpretatum ſignat terram *eam quæ habet populos*: appoſitâ ſignificatione pro nomine proprio, ſicut alibi ſæpe; uti vidimus *Tom.* 2. *T.* 3. *num.* 19. *& Tautol.* 8. *num.* 24.

Significatio nominis pro nomine.

Sponſa verò ita loquitur: *Vinea fuit pacifico in Baälhamon: tradidit eam cuſtodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me eſt: mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt fructus eius.*

Cant.8.11. 12.

Extricabitur nodus. Dixi per vineam ſignari iuſta regibus tributa, quæ congeri debent pro maieſtate regia, & non evellere, ſed putare congruit, ubi tempus putationis vitium advenerit. In Engaddi, ſeu valle Achor, qua deturbatus Achan, florebat hæc vinea dives, ex qua principi proventus & magnus; & ubi locuples ita, pro vectigalibus decapillandus eſt fructus. Vinea hæccine plus conſita cypris, ex quibus balſama, quàm vitibus, ex quarum fructibus vina; ut aſtruit Hieronym.in 27.*Ezech.*& in *Epitaph.Paulæ.* Adrichom etiam in *Iudà*, *num.* 116. & alij apud ipſum plures. Nec mirum. *Servit nunc hæc*, arbuſcula ſcilicèt, ait Plin. lib.12.cap. 25. *& tributa pendit ::: viti ſimilior, quàm myrto, vincta ut vitis, & implet colles vinearum.* Hæc obiter notavi, ut intelligat Lector, quid & cur dicatur in *Cant.* odor, & flores vinearum. Quapropter iurè Adrichomius,

Vineæ Engaddi balſama.

Plin.

Adrich.

mius, ubi dudùm, ſubdit: *Sunt balſama arbuſculæ, quas vineas Engaddi Salomon in Canticis nominat.* Ecce ex quo proventus annui, ex labore ditiſsimæ pretioſæ vineæ. Si uberrimus ac æſtimabilis fructus, nil mirum quòd penderet in tributum mille argenteos.

Ex opimis opima tributa.

Tradenda igitur erat quæſtori in cuſtodiam, ne periret laborantium ſudor, neque exactoris ſolutionis labor: tuncque commodè cuncta, cùm mille argenteis cedant regi in vectigalia; ac ut habeatur modus, ducenti tantùm his, qui cuſtodiunt fructus eius.

13 Palàm eſt invidenti mira poſſeſsio, cuius opes elucent ex prædiviti tributo: verùm Sponſa prædium dotale renuit, ac renuntiationi ſtudet. *Cùm deſcripſiſſet dotalem vineam, laudaſſetque à proventu, qui copioſiſsimus; nunc dicit, nolle ſe vineam illam*: ait Doctiſs. Sanctius hìc num. 65.

Sanct.

Unde illi tanta manumiſsionis anxietas, ubi cæteris pretioſæ poſſeſsionis aviditas? Deſpicit ſuadelâ languidæ mentis, cui inhiat etiam divitum ſitis? Sibi conſulit, dum illam deſpicit. Accipiet utique aliam, verùm non vult vineam illam. Non eſt illa, unde balſama, & opulenta tributa? Utique, ſed cum diſpendio, ex quo miſera poſsidentis conditio: quandoquidem duplex malum, ſuſtinere ex utilitate incommodum. Perpende prudens conſilium. *Vir affert*, dicit, *pro fructu eius mille argenteos*: ſed penduntur *mille & ducenti* cuſtodientibus fructus.

Vexatio intolerabilis, ubi maior ab exactoribus, quàm vectigalibus

Hæc ſanè vinea non ſubſidium, ſed gravamen; ni proventus providentia amandet longè exactorem: igitur tributa vendicat ſibi exactor, & nulla ſanè poſſeſſor. Magni utique habendum prædium, ex quo mille argentei in tributum: ſed parvi, imò nihili proventus, ubi maiores ſunt ad ſolutionem ſumptus: probatque deſpectus vineæ ſiccine Sponſæ conſilium; quippequàm utrumque ſtolidum, ad percipiendos ex tributo mille nummos, in cuſtodiam expendi mille ducentos.

Neceſſe eſt, ut faciat ſumptum, qui quærit lucrum.

Plaut.

Succinit Plautus *Aſin.* Act.3. ſcen.2. In lucrum vinea habenda: & illa deſpicitur ab Sponſa; quia non prodeſt, quod non prodeſt, impendio ſanè facto, ſed ſine lucro: & iurè à prudentia contemptibile, quicquid utile videtur, verùm ſine utilitate.

Non utile ſine utilitate.

14 Hinc illa: *Vineam meam non cuſtodivi.* Etſi mea, potius quòd maneat ſine cuſtodia. Satiùs eſt non habere, quàm minus habere ex tam pingui hæreditate: ſiquidem plus impeditur in tributi cuſtodes, quàm provenit ex tributis. Exponitur huiuſmodi exterminium Baltaſari Aſsyriorum & Babyloniorum principi.

Can. 1. 6.

Scriptum in pariete vidit *Manè, Thecel.* ideſt numerum & pondus in vectigalibus, ut erudiantur, qui iudicant terram, ne gravent pluſquàm vectigalibus, exactoribus Rempublicam.

Dan. 5.

Numeratur regnum pro cumulo vectigalium; apparentque impoſita iurè, quando non excedunt numerum: equidem regnum cadet, & opulentia contributorum peribit; ſi maior numerus exactorum, quàm vectigalia ſolventium.

Malum, ſi plus expenditur in tributi cuſtodes, quam provenit ex tributis.

Quid non ex tot tantiſque regnis coacervandum in ſubſidium, atque maieſtatem principis? Exactores regia auctoritate aderant, tot opulenti populi opulenter tributa pendebant: Baltaſarque damnatur, uti ſtolidus, & cùm eſſet dives, inops; quoniam cùm ex tributis habiturus opulentiam, & divitias ultrà invidiam, ſumma illorum ad examen appenſa in ſtatera iuſtà, & etiam appenſus Princeps; innumeris exactoribus, inventus eſt, minus habens.

15 Hoccine non eſt lucrum, ſed lucri conſumptio, & malignitatis conſummatio. Lupi, non paſtores mittuntur, ut oves impunè ab his excorientur, ita ſitibundi, ut dicat Plautus in *Pſeudol.* Act.1.ſcen.2.verſ.8.

Mavelis lupos apud oves linquere, quàm hos domi cuſtodes.

Plaut.

Igitur deferenda tributa, quæſtorum in adventu ſunt inania: renuit & meritò proventus vineæ divitis Sponſa; ex cuius conſilio principum elucebit prudentia: quandoquidem inutile emolumentum, ubi totus quotus quæſtus utilitati cuſtodum.

Ex vectigalibus, quæſtoribus quæſtus totus.

Ex contextu exprimitur pro pernicie conſilium, & corruptelæ remedium. *Vir*, ideſt, colonus, *affert pro fructu eius mille argenteos.* Haberet princeps utilitatem, ſi ipſi ſolventes ſine exactoribus penderent ſolutionem: igitur colonus affert pro vinea mille, & cuſtodes nihil poſſeſſori afferunt præter diſpendium: ſibi profectò ſumunt mille argenteos, vineæ fructus; & etiam alios ducentos. Apagè poſſeſsio & ampla, & iuſta vectigalia exactoribus iniqua, nec regi nec regno commoda: etenim nulla, ubi ſumptus ſanè argentei mille & ducenti; atque quæſtus tantùm mille.

16 Exactores ubique gentium indigitantur facultatum vorago, & Harpyiarum quàm viva ſimilitudo.

Exactores Harpyiæ.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deùm Stygijs ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus: fœdiſsima ventris
Proluvies; uncæque manus, & pallida ſemper ora fame.

Virgil.

Canit Virgilius lib. 3. *Æneid.* à verſ. 214. Fictum à Poetis è menſa Regis Thraciæ, ſeu Bithyniæ Phinei, luminibus orbi, dapes ſurripere, ita ut Rex periret copia, ciborum aviditate. Apollon. lib. 2. *Argonaut.*

Apollon.

—Primùm eſt oculorum lumine captus:
Inde frui dapibus vetitum eſt: quas plurima ſemper
Turba colonorum illius portabat in ædes.

Tres erant, quæ regem & cuncta turbabant, ita ut vel dapium copiâ abundantiore, etiam rex periret fame. Quid & quos ſignet hoccine fictum in aula, exprimit Natalis Comitis mythologia. *Triplex genus hominum* (ait in lib. 7. *Metam.* Ovid. *fab.* 1.) *à quibus reges & principes miſerè vexantur, aſſentatores, delatores, & fœneratores, & per tres illas Harpyias intelligitur.* Ab aliquibus dicuntur *Furiæ*: quippe talis ab illis populorum vaſtitas, ut idem ſit illos aliquò mitti, ac egredi ex inferno fatales Furias. Ab alijs, ut dicit idem lib. 7. *Mytholog.* cap. 6. *rapaces dæmones*: igitur nec exercerent dæmones, quam crudelitatem in pauperes excogitant exactores. Plurima dona in menſam Principis portabant coloni, verùm rex peribat fame: ſiquidem cùm ſibi ſumeret cuncta turba quæſtorum; nihil princeps habebat, neque in cibum neceſſarium. Iurè pingitur cæcus, dùm à ſe & à ſubditis non excutit tantum onus: quoniam ſumma principis cæcitas, dum ita exactorum inoleſcit aviditas, alere in regni & aulæ exterminium, quos expellere congruit, uti dæmonia, in infernum. Advenerunt in Bithyniam Argonautæ, & ſanè felici in principem omine; quippe filiorum Boreæ pernix velocitas perpulit rapaces è tota regione Harpyias. Damna princeps vidit, dum oculos pro ſubditis ſerò aperuit. Serò quidem, ſed in ſui, ac cunctorum utilitatem: & habuit quid regiè & placidè manducaret, cùm Stymphalides è toto regno expuliſſet. De fame Salomonis dicam alibi. Fabula docta ſed cogitatione digna: ſuperſedeo, ne trahatur ultrà tempus Didaſcalia. Conſulant ſibi Principes, peſſundentque dicentes ſæpe exactores, ut eſt apud Iuvenal. *Satyr.* 4. verſ. 54.

Nat. Com. *Furiæ & dæmones.*

Sugunt regni facultates.

Extrà amandentur exactores.

Iuvenal.

Quicquid conſpicuum, pulchrum eſt æquore toto,
Res fiſci eſt.

DIDASCALIA II.

Cœleſtes Monachi cogitationes, ubi nulla cogitatio de terrenis.

1 QUid nobis ſanè cum terra, ſi ſurſum ſemper dirigenda corda? *Cæcus eſt, qui multos habet oculos, & multis oculis ad vana reſpicit*: ait Gregor. Nyſſen. Homil. 8. in *Cant.* Amandare congruit huiuſmodi inutilem cogitationem, ut fugiamus noxiam in videndo cæcitatem. Viſa incautos ſpecie inani delectant, curioſos titillant, cogitationes vellicant: unde, ni reflexio revocet incurioſam, in ictu oculi levis aſpectus deprædatur animam.

Gregor. Nyſſ.

Capitur anima cogitatione terrenâ.

———Novum bibit oſſibus ignem:
Nec latet hauſtus amor, ſed fax vibrata medullis,
In vulnus redit.

Stat.

Canit Statius lib. 1. *Achill.* verſ. 302. Malè utique collocatur oculus, unde accipitur vulnus, deſtruens totius corporis beneficium valetudinis, quoniam non vulnus tantùm, ſed vulnus cordis. Ut Monachus nonnunquàm ſui decoram præ ſe ferat ſpeciem, avertere conatur Benedictus ab illo curioſitatem. *Defixis in terram aſpectibus*: ait Patriarcha cap. 7. *Reg. Sanctæ* grad. 12. *humil.* Non infixis aſpectibus, ſed defixis, ut collocationem notet cogitationis. Lumina terræ infigere, eſt terrenis inhærere: defigere, cogitationem à terrenis etiam in terra detrahere: intendenſque in Monachi perfectionem, defigere in terram iubet oculorum aciem; quoniam tunc Monachi cœleſtes cogitationes, ſi nulla cogitatio de terrenis. *Vir de cuius capite capilli fluunt, calvus & mundus eſt.* Mundities ex pilis fluxis? Sanè. *Quid enim ſignant capilli in capite, niſi exteriores cogitationes in mente?* Ita Greg. Magn. uti vidimus in *Expoſ. lit.* num. 33. Capilli cogitationes circa terrena deſignant, quæ elevationi ſpiritus in cœleſtia inſenſibilitèr obſtant: caputque exprimit mundum defluxus cogitationum; ſiquidem patet Monaſtici ſtatus inconcuſſa perfectio, ubi nulla prorſùm de terrenis cogitatio. Non decalvatus exponitur, ſed calvus; ut vir per legem iudicetur mundus: ſiquidem ut eluceat per extima animæ interna mundities, haud ſufficit per tonſuram exterior tantùm ſpectabilis ſpecies. Hinc SS. Legislator ubi dudùm cap. 1. infit: *Mentiri Deo per tonſuram noſcun-*

Curioſitas nocua Monachis.

S. Bened.

Lev. 13. 4.

Monachi claret perfectio, ubi nulla de terrenis cogitatio.

S. Bened.

ſcuntur: quippequàm etſi renunciationis per tonſuram appareat raſa cæſaries; ut affectum rapiant cordis, altè iacent in cute cogitationum radices. Non decalvatus, ſed calvus debet eſſe Monachus; ut pro ſtatus profeſsione ſit mundus, fluxis capillis capitis, vel propter cœleſtia evulſis: ſiquidem haud nanciſcetur perfectionis faſtigium; ni radices terrenarum fomitem evellat cogitationum. Alta ſanè petenda, & inferiora ſunt infima: iuxta cogitationes ſursùm, vel deorſum vagatur anima: nequitque eſſe cogitatio versùs cœlum; ni caput à terrenis omninò nudum.

Non tantùm amandanda ſed evellenda.

2 Mos erat Ægyptijs apud Meroën inſulam Nili, quæ modò *Saba*, ſagittis brevibus ornare capillos: unde Claudianus de 3. *Conſul. Honor.* verſ. 21. ſuccinit:

Claudian.

Ignavas Meroë traxit de crine ſagittas.

Et lib. 1. de *Laud. Stilic.* verſ. 253.

——— Simili mentitus gurgite Nilum.
Venerat & parvis redimitus iuba ſagittis.

Idem.

Quibus in locis Caſpar Barthius: *Mos crinem ſagittis implere in ornamentum capitis.* Capillus de capite non perit; quia minima cogitatio cœleſtem inſpectorem nequaquàm fugit: iuxta cogitationum collocationem, Deo ex profeſsione ſervientium, fit pretium vel deſpectus cogitationum: unde ſi iſthæ à Monachis in Deum dirigendæ, ut attrahatur è cœlo, & retineatur in corde; non erit dulce obſequium, ſed cordis pravitas, pro cogitationibus in cor amantis eiaculare ſagittas. Sagittis pungitur vanitatis, cui blandimen affigi telis amoris; ut Monachi decidant à cogitationibus ſuis: igitur quod ſibi videtur quaſi capilli neglectus, in pectus Dei altum conſpicitur vulnus.

Barth.

Olim ſagittis parvis ornabatur crinis.

3 Dolet utique, dum queritur. Quæ opprobria, quæ propudia cogitaverunt, vel non cogitaverunt milites in Chriſtum Dominum? Fecerunt in eo & in eum quicquid voluerunt: etenim acrius ingenium diaboli, ſi adhæret militi. Quid ad hæc? Tacuit, & non aperuit os ſuum. Fatuum reputavit Herodes, deſpectâ illius innocentiâ, & minimè laxatâ vittâ coccineâ. Valebat procacitas, & improbitas coram cunctis in ludibrium; ſed nihil ſubſannanti reſpondit, nec ullum verbum. Terræ oblivionis mandantur etiam ſuſpiria, cordis afflicti ſolamina, queis placabile vulnus, artificioſo medicamine queſtus: ſed ægrè fert, vel non fert crinem unum in collo Sponſæ curioſè aut incurioſè inclinatum; atque queritur de vulnere adacto in pectus, uſque ad cordis penetralia, quia miſsio oculorum levis & inconcinna in Sponſa. Hiſp. *Al deſgayre.* Iccircò percitus clamat: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Si velox in mundum, quin conſideretur Sponſus, luminum iactus eſt in Sponſa ſine ſtudio neglectus, & militis, atque Herodis pervicacia gravis undecunque offenſa; ſi ſolvere lumina oſcitanter per breve tempus, atque leviuſculâ diverſione, eſt mera incogitantia parvi momenti; & ſpinis lacerari, ſuſpendi in cruce, patet iniuriarum ſummitas, ut tormentorum acerbitas, peſſundatâ gratitudine fidei amantis, qui ſic favebat furentibus inimicis, ut ſuſtineret etiam libitò mortem, & mortis iniuriam, modò illorum ſervitutis ferream frangeret catenam; quare non queritur de opprobrijs, tormentis, & inferentibus, & ab Sponſa incurioſus luminum iactus deſignatur cordis vulnus? Magna profectò vulnerantium differentia: illi milites, hæc erat Sponſa, quæ propter profeſsionis puritatem, ſequi debebat, etſi laborioſè perfectionem: & docendo modum, ſi ſeſe vinceret, quo ſequi & conſequi poterit; querimoniam de oculorum neglectu quaſi de vulnere inſtruit: igitur qui facilè placidèque tolerat inſolentias graves militum, pungitur altè ab Sponſa elevatione oculorum.

Acrius ingenium diaboli, ſi adhæret militi.

Cant. 4. 9.

Vel oculorum neglectus, ex Sponſa grave vulnus.

4 Ulterius. Tàm oculos elevare, quàm crinem unum à reliquis meditanter, aut negligenter ſecerni, erat animi improvidi levitas, vel innatę fragilitatis ſurreptitia curioſitas. Verùm Sponſus & icitur, & etiam de plaga queritur. Tantum telum ex uno crine in uno oculorum? Sanè. Gloriatur noſtra vana fiducia, dum inſunt leves defectus, quòd uti leves indulgebit Sponſus. Sponſæ exultant & gratiâ vocationis, & mutuæ munere charitatis; ſiquidem magni ducit Sponſas, etſi viderit illas aliquomodò imperfectas: unde ne credant ſine redamatione, Sponſarum tantummodò æſtimabili muneri; iraſcitur ut percuſſus, qui totus plenus amore: ſiquidem etiam habens erga Sponſas cor ſuaviſsimum & pium; conſiderat negligentias in cuſtodiam oculorum. Ultrà. Crinis etiam intima pectoris vulnerat, & perculſus crinis vulnere clamat. *Vulneraſti*, dicit, *in uno crine.* In crine cæſpitat? In crine: Utique, erat crinis Sponſæ: & illas quærit & ambit ita addictas perfectioni, atque omninò incumbentes puritati; ut tanquàm vulnera ſentiat, de quibus Sponſa incurioſè non cogitat: quandoquidem offendit etiam momenta capilli, quæ illi videri quibant nullius momenti. Vernaculè: *Lo que no monta un cabello.*

Quanta cura in oculorum cuſtodia!

Infert vulnera cogitatio vaga.

5 Clariùs in propoſitum. Crines, uti ſæpè dixi, deſignant cogitationes. Omnes &

& in omnibus dirigi debent in Sponſum, pro demonſtratione amore flagrantis pectoris; igitur Dominus omnium, maximè dilectarum Sponſarum, pro quarum ſtudio ſolicitæ puritatis, ipſi præparantur vel leves cogitationes. Crinem declinari in collum, ſignat cogitationem, eſtò improvidè collocatam in mundum, in ſtudia ſæcularia; cùm elevari oporteret verſus cœleſtia: & cogitationem vagam (quam incuriâ prætermiſit Sponſæ, procul circumſpectione, neglectus) vulnus, & vulnus cordis vocat Sponſus; quoniam Sponſi uti telum percutit animam, conſiderare in Sponſa vel levem unicam cogitationem inclinari versùs terram. Totum cor dilector animarum tradit Sponſis, ut totæ in totum dicentur vel obſequio gratitudinis. Claret dilectio in perfectionis ſtudio; ſiquidem amor ibi, ubi inhæret cogitatio. Mulcimina ſanè flagranti cordi, vulnerari charitate, emittente dulces affectuum ſagittas, ut ignis occluſus prærumpat avidè in flammas, in lucem perducat fumum: quoniam lampades eius lampades ignis atque flammarum. Ita conciliatur amor, ardeſcit & redardeſcit, & uſque in Olympum ſurgit.

Maximè in terram reflexa.

Oth. Væn. *Iugiter hoc ferit illa, facitque in vulnere vulnus.*

Ut ait Otho Vænius *Embl. Amor.* 76. Appoſitè vulnus pro vulnere, ut Sponſa caveat à vana cogitatione: igitur ſi cogitatione trahitur, ac diverſione percutitur; faſtidium erit pro vulnere charitatis in pectus, invenire tantùm in cogitatione vulnus: quandoquidem acerbum, dum tendit propensè in Sponſarum animas; pro cogitationibus invenire ſagittas, ut fugiat ictus, quibus aperiebat pectus. Longè ſit ab Sponſis ſagittarum cincinnorum inſigne pro ornatu capitis, ſi ſtudent captare Sponſum pluſquàm retibus crinis, cogitationis: etenim Sponſarum non ornatus, quæ Sponſo vulnus; de quo dolet, quia cor pupugit: cogitare valentibus, quantum ex dolore gravi, qui offendit vulneratus in uno crine. Vide *Tom.* 2. *T.* 8. *D.* 6. num. 4.

Faſtidium Sponſi pro vulnere charitatis, vulnera cogitationis.

6 Ægyptij Sacerdotes, ut ibi obſervavi ex Pier. *lib.* 32. *cap.* 41. quotidie radebant capita, ut nulla capillorum conſpicerentur veſtigia; ideo, ut aſtructum in *Litera*, calvi appellati, quippe extra religionem vel umbra pili. Vid. *num.* 32. Etiam ex tenebris exortum eſt lumen rectis, ut incumbant ſtudio perfectionis, facto ad amuſsim examine, in libramine conſcientiæ: igitur cùm ingerantur abſtruſæ cogitationes, uti excreſcunt inſenſibiliter crines; minimè erunt vulnera Sponſi, ſi proſcinduntur ac reſecantur quotidiè. Vagæ, ut capilli in aëre, volitant huc atque illuc, rapientes corda, ut dilectionis erga Sponſum ſopiatur flamma: & capilli ſacrorum non tantùm tondentur, ſed radices uſque ſtudioſè raduntur; ut nequaquàm cogitationes nutriantur in vanitatem; ſed in amorem erga Sponſum vehementiorem: equidem non vulnerabunt hinc vel illinc Sponſum, dum illarum in Sponſis nullum remanet veſtigium. Ex naufragio ſoſpites Deis capillitium devovebant, & quaſi cincinnos cogitationes ſacrabant, de quo latè actum in *Liter.* à num. 20. Aliter coma in navigio, atque aliter in Deitatis templo. Non aliter in electis Conditoris Sponſis, quæ adducuntur libenter in templum regis. Standum coram Domino, verùm ſine capillitio: igitur ſi crinis ſymbolum cogitationis, mare mundi naufragantis; non rectè dicantur Deo, ſi de mundo cogitatio: quandoquidem ubi tutò feliciter habetur portus, ex tranſacta procella nec capillus.

Cogitationes vanæ reſecentur quotidie.

Haud rectè Sponſa ſacratur Deo, ſi de mundo cogitatio.

7 Ex ritibus ſuperſtitionis, quos Ethnici detorſerunt ex Nazaræorum ritibus, formandum Sponſis ſpeculum pro forma cogitationum. Priuſquam dederentur, ut Veſtæ ſervirent; lex erat, capillos radere, atque in loto ſuſpendere, ut latè egimus in *Liter.* à num. 20. Tradit etiam Statius de *Coma Eriani* verſ. 14. lib. 3. *Sylvar.*

Veſtales capillos ſuſpendebant in loto.

Nempe dedit Superis illum, quem turbida ſemper
Iuno videt, refugitque manum, nectarque recuſat: Stat.
At tu grata Deis.

Et Theodoras *lib.* 6. *Antholog.* cap. 22.

Virginibus puris dono. Theod.

Si in crinibus cogitatio, optimè reſpondebant inſtituto: quandoquidem dum eliguntur ad Deitatis obſequium, & ignis cœleſtis fotum; virginibus, animabus congruit electis, ſuſpendere omninò & extrà, mundanas cogitationes. Cur capilli devoti, & non alia munuſcula, uti monilia, torques, maximè ſpecula, in reſipiſcentiam humanæ fragilis pulchritudinis, evaneſcente etiam venuſtate imaginis; ut cogitatio volet avidè in cœleſtia, obſervans vel quæ pretioſa, atque decora caduca? inquiret iurè curioſus, cùm ubi ſupr. verſ. 95. dicat Papinius.

In Sponſis Chriſto ſacris, extrà ſint ſæculares cogitationes.

Cur dicatur Virginũ coma, & non alia munuſcula?

Nobile gemmato ſpeculum portaverat auro:
Hoc quoque demus, ait: patrijs nec gratius ullum Stat.
Munus erit templis, ipſoque potentius auro.
Tu modò fige aciem, & vultus hucuſque relinque.
Sic ait: & ſpeculum recluſit imagine rapta.

Religio ſanè altè caderet, ſi electa ſeſe negans, nec imaginem noſceret, nec ſe cognoſceret in imagine, ut tantùm ſtuderet electioni, & faceret ſpontè libenter animus, quicquid ſenſim invitè facturum tempus, ſicut quæ riſit decerpente tempore pulchritudinem, dum ſeſe videntis confuſio coöperuit faciem. Canit Nonnus in *Dionyſ.* lib. 42. à verſ. 86. de Beroë:

Fallax pulchritudo.

Æra repercuſſum decus atteſtantia formæ
Splendida virgo tenens exultat, & oris honeſti
Effigiem tacito præconi credit & æquo, Nonn.
Umbroſo ut ſpeculo falſos dignoſceret artus:
Riſit imagine fictitia Proſerpina vera.

Proſerpina vera: ideſt mors, ut dixi in *Liter.* fuſiùs à num. 25. equidem in hora mortis, conſtat ſanè, pulchritudo quàm riſibilis. *Proſerpina vera*, ait: ideſt, mors vera: haud quia aliquando fictitia; ſed quia antequàm veniat, cogitata: etenim ridebit, & non ridebitur, quæ cogitationibus antequàm moriatur, moritur; ſuſpenſis capillis in perfectionem, priuſquàm fatalem auferat Proſerpina crinem.

Patet in morte: imò in vita, ſi mors etiam cogitata.

8 Ergò in dubium pro munimine ſanctarum cogitationum. Non ſpecula & alias mundi muliebris quiſquilias ſuſpendunt Veſtales in arbore; ſed capillitium totum, ac pulchritudinem comæ. Meritò quidem: alia reſumere valent, coma non valet reſumi; igitur ſemel abiecta non poteſt inſeri capiti: crineſque tantùm dicantur, dum Virgines adducuntur in templum; ut quæ mundi non cogitent, & in miniſterium mundæ, cogitantes quò vocatæ, undè aſſumptæ, ad quid electæ: quandoquidem minimè reſpondet electionis atque vocationis dignitati, cogitationes mundanas ſemel abiectas reſumere. Non capillos evellunt, ſed obſequioſè radunt; ut inhærentes capiti raſo radices, nobiliores alias producant cogitationes. Verùm quales? Cognoſcendum ex conditione arboris, quâ ſuſpenditur capillus. Non alia electa, ſed lotus. *Lotus Capillata, quoniam Veſtalium virginum capillus ad eam defertur*: ut egimus ex Plin. & alijs in *Liter.* num. 20. Fructus loti gignit oblivionem patriæ, atque cuncta præterita ſubtrahit ſervatrici memoriæ; ut videſis lato calamo *Tom.* 1. *T.* 6. *D.* 20. *num.* 13-2. *T.* 5. *D.* 2. *num.* 13-3. *T.* 7. *D.* 1. *num.* 9. & 16. Crinis abijciendus à Virginibus ſacris, ſed ſuſpendendus in loto, ut ſæculi exoleſcat oblivio. Quia cogitationes adinſtar crinium (quandiù in vita, quippe ex nobiſipſis gerimus, unde certamina toleramus) etſi ſecari, ac radi, nunquàm poſſunt evelli; excreſcunt ſenſim; præteritæque collocantur in loto; quoniam nova cogitatio debet eſſe illarum cogitationum ſuſpenſio. Haud radicitùs extirpari poſſunt cogitationes, ſed ſecari uti capillus; ut collocentur in melius: unde ſi illecebræ titillant, atque memoriam uti ſubdolæ provocant; cogitatio in loto collocanda, ut nulla excreſcat præteritarum memoria.

Cogitationes ſæculi dimiſſæ, non reſumendæ.

Plin.

Lotus capillata Veſtalium, in oblivionem.

Sponſæ cogitationum ſuſpenſio, aut evulſio.

9 Mutandæ ſunt cogitationes Virginum, iuxta inſtituti propoſitum; ut exactius fungatur anima miniſterio: quapropter crines reciſi priùs deponuntur in loto, ex cuius eſu cunctorum manat oblivio; quippe vel nulla recordatio ingeri debet in abdita pectoris, vel ſi aliqua, vel leviuſcula, tantùm memoria oblivionis. Acre ac pertinax removent à ſe bellum, quæ cunctorum libenter obliviſcuntur: etenim infeſta memoria, quæ ut traducat, introducitur amica. Aliæ, uti crines, cogitationes ſunt forinſecùs; & aliæ, ut ius eſt, abſconduntur intra pectus, alias aliæ totis viribus oppugnantes, pro diſcordia vel tranquillitate cordis: minimèque nocebit cogitationum memoria; ni quæ ſunt intrà, ſint extra, & etiam econtra. Aliæ & aliæ ſunt: & oportet, quòd ſint aliæ pro omnimoda puritate animarum, reſpicientium in oblivionem ſtatus priſtini lotum: etenim præſentis clarebit æſtimabilis perfectio, modò cogitationum priorum nec minima cogitatio.

Si aliqua recordatio, memoriæ oblivio.

10 Ubi ergo cogitationis ſedes? Ubi habitaculum cordis. Ægyptij, ut exprimerent animam reſpuentem terrea, pingebant virginem in cœlum ſurgente comâ, haud preſsis, paſsiſve capillis, ſed ſurſum meditanter erectis. Quorſum huiuſmodi formæ imaginis intuitus, indicat Pierius Valerian. in *Append. Hierogl.* lib. 1. cap. 50. *Unde ſiquis* (ait) *virginem capillos in cœlum erectos habentem pinxerit; aptè animam, vel hominis naturam expreſſerit*: ſiquidem ſi per crinem ſignantur cogitationes, per erectionem illarum collocationem ex corde virginis; eſtò in terra, ſurſum aſcendit anima, cogitationes dirigens verſùs cœleſtia. Olim pro ornatu comæ, ſerpentes & alia reptilia portabant calamiſtratæ fœminæ, de quo egimus *Tom.* 3. *Tautol.* 1. num. 22. Econtrà *Agathyrſi cœleſtes capillos habent*, uti diximus in *Liter.* num. 18. & *Tom.* 2. *T.* 3. *D.* 7. *num.* 20. Ecce intuitus pravus, aut optimus cogitationum, ſacris dicatarum virginum: igitur altè iacet anima, ubi cogitatio, uti ſerpens effundit prava venena; cùm ex profeſsione ad exactionem muneris, congruant virginibus cœleſtes cogitationes. Quò vocatæ, eundum: & per alta nunquàm ibunt, ſi reptilium adinſtar per terram cogitationibus ſerpunt.

Cur erectis in cœlum capillis ſignetur anima?

Pier. Val.

Volet cogitatione in cœleſtia.

Lotus cur felix?

Idem.

punt. Felix à Pierio *lib.* 52. *cap.* 36. plauditur lotus, qua Veſtalium ſuſpendebatur capillus. Illæ feliciores abraſa comâ *perinde ac arbor ipſa felix cognominata*: Siquidem ſi felicitas cordis, cura nulla de terrenis; felicitas ſanè maxima, dum cogitationes tantùm diriguntur in cœleſtia.

Eccle. 2.

11 *Sapientis oculi in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat*: dicit Sapiens. Aptitudinem ordinatam à natura videtur repellere, collocans lumina in capite. Facies utique locus organorum luminis: cur ergo fixi ſtabunt in vertice ſummo capitis? An quia ſibi conſulere debet, qui ſurſum animam tollit? Utique, ſua intereſt quæ propria, de quibus adhibenda ratio; nequaquàm aliena, ac de illorum exercitio: igitur ſequetur, & conſequetur felicitatem, modò curioſa non ſolicitet alienam ſolicitudinem. Pro textus expoſitione acumen inferendum Gregorij Magni: *Capilli reſecantur, ne oculos claudant*: inquit *lib.* 1. *Epiſt.* 24. Non exterioris, ſed interioris hominis fit deſcriptio, ubi oculorum ita ſiſtitur non communis collocatio. In capite tantùm videre poſſunt cœleſtia: in facie, cœleſtia etiam & caduca: oculique collocantur in ſummitate capitis, pro formatione ac beatitudine hominis; quoniam procul obice, quò vocatus, adimplebit exercitium, ſi dum videt, tantùm reſpexerit verſus cœlum, cogitans crebrò quò iturus, nihil curans de inferioribus. Dicit vel Ethnicus lib. 1. *Metam. fab.* 2.

Anima non ſit curioſa.

Greg. Mag.

Oculi illius ſolummodò cælum verſùs.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini, ſublime dedit, cœlumque tueri
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Ovid.

12 Inſuper. In capite ſunt crines indices cogitationum: quomodò ergo ſi oculi in capite dirigentur in cœlum, dum capillorum multiplicium adeſt obſtaculum? Removentur à facie capilli, ut obiecta cernant & æquè diſcernant oculi: quorſum ergo ut clariùs cuncta videantur, in capillato capite lumina meditanter reponuntur? Ut reſecentur. Quot in capite crines, tot in intellectu cogitationes: quas ni removerit uti importunos capillos, minimè in cœlos quibit elevare oculos. Impediunt viſum, quò in cœlum tendit cor incola, tanquàm crines, terrenæ, ſæculares, inanes ſolicitudines; quibus ſupervenientibus, nullus cœleſtium poſsidetur intuitus, quanvis ob nanciſcendam felicitatem, ſint lumina ſupra verticem; quoniam ſicut caput crinibus, obtutus, etſi perſpicax, obtuitur cogitationibus. Haud ullum deſideranti collyrium, ni caput raſum, exule vel levi terrenarum rerum cogitatione; quæ nullius momenti perpenditur quaſi pili: unde ut anima ſurſùm ſurgat, & cœleſtia, ut vult, aſpiciat; non ſufficit lumina in capite poni, ni collocet meditanter in raſo capite: etenim licèt ardeat in cœleſtia, conflagranter flamma pectoris; nonnunquam impedient viſum obices cogitationes.

Removeatur cogitatio ſupervacua, ut aſpiciantur cœleſtia.

13 Ex obiecto oculis, maximè dubio lumine, pilo, quæ non fingit vaga & anxia cogitatio? Videant, quorum intereſt, quanti interſit, dum cogitatio levis ducitur pili: etenim vel uno ſolo obiecto, & non uti pilo cognito, ita delirans debacchetur ratio; ut quiſquis viderit illuſum fictione imaginis, arbitretur correptum furore mentis. Cuncta perſpicua in veritatis ſpeculo, & adhuc obijciuntur in ſtulto, ut perpensè conſideretur vocatio. *Sapientis oculi in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat*: ut contrapoſitio rectè caderet, neceſſe erat ex diametro luminum collocationem apponere, uti Prov. 17. 24. *In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ*: ideſt, in pedibus, quibus dum terrena ſollicitant, uſquequaquè uſque in præcipitia cæſpitant. Dicat ergo Sapiens, oculos à ſtulto collocari in facie, aut pede; dum figit prudens in capite: ſed ſtultum ambulare in tenebris, ubi caput ſapientis præditum oculis. Iurè. In facie ſtultus oculos habet, & minimè etiam oculatus videt; quoniam videt quæ infra faciem, & nulla quæ ſuper verticem, gratis amittens optabilem gloriam, quia oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, dum prudens habet in capite; quippe oculi eius etiam in terra cernent terram de longè. In facie habet oculos ſtultus, & quia ſtultus manet cæcus. Deſcendunt itaque è capite adinſtar crinium, importunarum vagarum phalanges cogitationum, quæ quidem cùm viſum impediant, & oculos claudant; ambulat in tenebris ſtultus, manu tentans quaſi cæcus: igitur agitatus impulſu cogitationum, hinc inde ſuper oculos pendentium, neſcit ut videat, unde veniat, aut quò vadat. O amor terrenorum quàm delirus!

Quantum malun animæ ex levi cogitatione!

Qui terrena ſolicitat, uſquequaque cæſpitat.

Prov.

Stat cætus, quia malè collocat oculos.

Cæcus es, & cæcos pariter tu reddis amantes,
Qui clauſis oculis in ſua fata ruunt.

Succinit Oth. Vænius ubi ſupr. *Emblem.* 31.

Oth. Væn.

14 Quanta connexio inter cogitationem & viſum, conſtat ex Iobo. *Pepigi fœdus* (inquit) *cùm oculis meis, ut ne cogitarem quidem.* Oculos profectò habebat in capite, ſed capite raſo, ac potiùs capillo fluxo, dum fœdus oculorum dirimere nequibat cogitatio. Cogitationes ut crines operiunt verticem, ubi lumina fixa; ut videantur à pru-

Iob. 31. 1.

Leve vanitatis cogitamen impedit claram viſionem.

den-

dentibus cœleſtia, & quanvis cogitatio à ſenſu diſtet, fœdus pepigit cum oculis, ne cogitaret; quoniam vel leve vanitatis cogitamen impediret ſine dubio perviam cœleſtium viſionem. Quæ viſa cogitantur, & ſenſim ex viſis corda trahuntur; quare Iobus cum oculis init fœdera, ut cogitet quæ vident oculi, quaſi non viſa: quandoquidem ſi quæ videt, rapiunt obtutus cogitationis, apertis oculis ambulabit in tenebris. Hinc defectus Sponſæ & in aſpectu, & in crine: *Vulneraſti cor in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Ni pendêret diſitus à cæteris crinis, haud cuſtodia removeretur ab oculis: quare, eſtò improvidè, viſus deviavit à recto; quia propendit verſus terram improvida cogitatio. Pangere debet Chriſti Sponſa fœdera cum luminibus; ne removeatur à Sponſo negligenter, incurioſè levibus cogitationibus: quandoquidem viſio obnubilatur, Sponſus ſine merito percutitur, excandeſcit animus, friget pectus, & Sponſus

Ubi ſup.

Ex cogitatione vagâ oculorum negligentia.

—Æternum ſervat ſub pectore vulnus.

Virgil.

Ut alliciatur è cœlis, cœleſtes regnent in Sponſis cogitationes, ſed longè à finibus terræ, quippè cognoſcit cogitationes de longè. Inſtet amor cæcus, ut videat, & potiatur, de quo cogitat: etiam, ut accinit Statius lib. 1. *Theb.* v. 321.

——Spes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

Stat.

DIDASCALIA III.

Quantum onus Superioris, ſubditis dyſcolis!

1 DIcet tantum onus, qui fuerit expertus: ſiquis ignorat periculum faciat: pigebit, verùm cognoſcet ſummè excedere gravamen ſuperiorem hominis cogitationem.

Fraude perit virtus: in apertos undiq; campos
Proſiliunt hoſtes, & latus omne tenent.

Ovid.

Ovid. lib. 2. *Faſt.* v. 225. Optimè Chryſippus ſibi conſuluit, dum munus publicum reſpuit, dicens: *Si malè egero, diſplicebo Dijs immortalibus: ſi prudenter iuxta leges, minimè placebo hominibus.* Ita referunt Eraſm. Roterod. & Conrad. Lycoſthen. in *Apophthegm.* Nodi perplexi ſolutio difficilis, niſi divino iuvamine, ubi Superior facto pius & ſceleratus eodem. O prona in terris anima, & cœleſtium inanis!

Difficile, munus publicum obire.

—Quid pulchra vocabula pigris
Pertentas vitijs? Probitatis inertia nomen
Iuſtitiæ formido ſubit.

Claudian.

Inquit vel Ethnicus lib. 2. in *Eutrop.* v. 206. Si affabilis Præſes, dicitur non circunſpectus. Si circunſpectus, dicitur etiam odioſus, & nonnunquam auctoratus. Si liberalis, prodigus: ſi providus, avidus, imò cyminopriſtes, & ſordidus. Si lenis, fingit, vel fallit: ſi ſeverus recrudeſcit: ſi indulget, facilis: tyrannus, ſi non indulget. Si diſsimulat, ſimulat: ſi tacet, obſervat: ſi loquitur, vulnerat: ſi videt, curioſus: ſi non videt, inſenſatus: ſi prætermittit, puſillus: ſi non connivet, auſterus: ſi increpat, paret furioſus; & nihilo, ſi modeſtus. Si audit, credulus: ſi non audit, durus. Si recluditur, quieſcit: ſuſpicioſus, ſi non dormit. Si miniſterium implet, alia ambit. Si unus cum illis, abiectus: ſi unus præ illis, elatus. Si cunctis unus, notatur indiſcretionis: factioſus, ſi ſingularis: ſine amicis terribilis; cum illis, intolerabilis. Si comedit, genio indulget: erit parcus, ſi non comedit: ſi deguſtat; cuncta deſpicit: faſtidium: ſi lethaliter decumbit; cunctis etiam dignatis odioſus, quia inimici hominis domeſtici eius. Iurè SS. Patriarcha N. *Regul. Sanct.* cap. 1. quia diverſi mores, & indoles, vivere in communitate, vocat *Fortiſsimum genus Monachorum.* In quas non tenebras, vel cimmerias, vel ex barathro, detrudit otioſos cogitationum furioſa caligo?

Cenſura in Præſides.

Cæce quid à recto declinas calle maligne?
Audi quod ratio, quodque Minerva monet.

Oth. Væn.

Ait Oth. Vænius Embl. 31. *Amor.* Verbum in ventum abit, quippè procacitas ſurdis auribus eſſe ſolet: creperèque auſcultabitur monentem, qui rationis urgentis nec vidit faciem; cùm furenter arbitretur malitia licitum, lubitum; ac verum, excogitatum, cenſore phantaſiâ, legislatrice dementiâ. *Quò iſta Monachi? Ubi* (dicam cum Bernardo *Epiſt.* 42. in fine, vel de *Morib. & offic. Epiſcop.* cap. 9. num. 36.) *timor mentis? Ubi rubor frontis? Quis unquam probatorum Monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo?*

Inſania ſubditorum.

Bern.

2 Quis vos faſcinavit? Pridem: *Magnus Dominus & laudabilis nimis*; modò, *linguam noſtram magnificabimus: quis noſter Dominus eſt?* Pridem: *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo*; modò, *Quis eſt Dominus?* Pridem: *Rorate cœli deſuper*; modò, *Quis es tu? Quem teipſum facis?* Pridem: *Verba vitæ æternæ habes*; modò, *Durus eſt hic ſermo?* Pridem uti Chriſtus ingrediens in civitatem vel ramis plauditur; & poſtmodùm extra civitatem crucifigitur? Unde divortiũ

Et mens multivola, & in oppoſita.

oppo-